



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Consideratio & Affectus VII. De Divinitate Christi. Sabbatho.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

men, credo, spero, amo te Deus meus:
Desidero te millies! Mi Jesu quando ve-
nies? me lætum quando facies?

Consideratio & Affectus VII.

De Divinitate Christi. Sabbatho.

Quis mihi det, te Fratrem meum, ô
Jesu divinissime! Unigenitum Patris
Filiū infinito nostri amore æstuantem;
& propter nimiam charitatem sic se ex-
iniantem, atque ad nos fratres degene-
res ac moribus dissimiles te demittentem?
Quis mihi det quoque æternum Patrem
tuum, Creatorem nostrum sic nos dili-
gentem, ut te Filium suum unigenitum
nobis daret, & tecum propter naturæ di-
vinæ unitatem ad hoc Sacramentum de-
scenderet! Quis mihi denique det Spiri-
tum Sanctum, Paracletum, & Advocatum;
amoris infiniti incendium, tecum & cum
Patre ad nos orphanos venientem & man-
sionem apud nos facientem? O Abyssus
charitatis & misericordiæ! ô excessus li-
beralitatis & beneficentiæ! Ah! Credo,
spero, amo te Deus meus: Desidero te
millies! mi Jesu quando venies? Ut mor-
tuum vivifices, Et hominem deifices?

Affectus